



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De auriculari seu secreta Confessione 110

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

omnibus qui peccata sua Christiane de illis pœnitentiæ, ac doloris sufficienti testificatione confitentur, veniãque eorum humiliter ac supplices petunt, ex mandato Christi ea remittunt, eosque ad communionem Domini nostri Iesu Christi admittunt.

At hoc signum non est, vel significatiua actio, sed opus ministerij ecclesiastici curæque animarum, institutum ab ipso Domino, quemadmodum Scripturæ loca testantur, quæ Aduersarij ex Mat. 16. & 18. capitibus, de ligando & absoluendo: item ex Ioh. 20. cap. de remittendo vel retinendo peccata adduxerunt. Præclarum habetur eadem de re testimonium, 2. Cor. 2. vbi Apostolus hortatur Corinthios, *ut eum, quem ex iussu suo excommunicauerant, 1. Cor. 5. & Satana, in perditionem carnis tradiderant, rursus in gratiam recipiant, atque peccata remittant, ne nimio dolore conficiatur.* Etsi verò Dominus hoc opus præcepit, nullum tamen ad id visibile signum instituit, vnde sacramentum appellari posset iuxta vim & Potestatem istius vocabuli, qua sacramenta definimus esse, inuisibilibus gratiæ Christi visibilia signa.

Quoniam verò antiquitus, vt apud Cyprianum & alios scriptum reperitur, etiam signum impositionis manuum ad Absolutionem adhibitum est, fierique potest, vt Consuetudo illa fuerit ab Apostolis profecta, hac ratione posset Impositio manuum, vel Absolutio facta per impositionem manuum Sacramentum appellari, quod nec liber Reformationis negat. Verùm Absolutioni siue Pœnitentiæ per se hoc nomẽ congruere nequit, ea nempe significatione, quæ iam ante exposita est. Nullus igitur S. Patrum id vel Pœnitentiæ vel Absolutioni attribuit: nisi velimus dicere, vocem sacramenti tantundem valere, quod Græca dictio *μυστήριον*. Absolutio enim magnū est salutis nostræ mysterium, sicut etiam verè fidelis pœnitentia: ambo enim dona sunt & opera Spiritus S.

Aduersarij hoc in loco de duabus clauibus quoque loquuntur, scientiæ & potestatis. Quod si ita intelligunt, quod Dominus Ministris Ecclesiæ suæ omnibus dederit spirituales scientiam & potestatem, cognitionem atque auctoritatem peccatores reprehendendi & corrigendi, ligandi & absoluendi, tunc non malè loquuntur. Nam vt D. Augustinus scribit, Dominus non tradidit clauis regni cœlorum Petro per se, sed ecclesiæ in Petro, cuius personam Petrus gerebat.

Hactenus de prima parte. Reliqua inuenies supra in Articulo de Sacramentis in genere.

### Secunda pars.

#### De secreta Confessione.

#### CAP. CX.



DE isthoc exercitio liber Reformationis in Articulo de Pœnitentiã & Excõmunicatione ad eò Christianã, & S. Scripturis cõsẽtanẽã doctrinã tradit, vt nemo Christianus quicquã in ea

desiderare queat. Qui etiam Patrum scripta ab Aduersariis hoc loco adducta, diligenter examinare volet, cogetur fateri librum Reformationis eiusdem esse per omnia sententiæ cum Patribus: quod deinceps primum omnium demonstrabimus, ac postea ad Aduersariorum calumniam respondebimus.

*Quod doctrina libri Reformat. de secreta missa, cum doctrina S. Patrum nullo modo pugnet.*

**P**rimùm omnium seriò mandamus, ne quis ad communionem Cœnæ Domini admittatur, nisi à Pastore, aut reliquis ministris sacramentorum ad Confessionem suam, priuatam Absolutionem antea acceperit.

Secundò requirimus vt quilibet & peccata & delicta, quæ conscientiam illius præcipuè sollicitant & premunt. Ministro delegatur, ac de his consilium & consolationem cum absolutione petat.

Tertiò constituimus, vt Pastores vnumquemque audiant & examinent de fide sua, & intellectu decem præceptorum, atque eos hoc modo ad veram peccatorum suorum cognitionem perducant.

Quartò, Ne quisquam absoluator, qui non serium ac firmum propositum ostendat sese emendandi: paratúsque sit ad omnia scandala à se data, quantum in ipso fuerit, rursus tollenda.

Hæc omnia sunt expressa in libro Reformationis proposita, quæ tu ipse legas, Christiane Lector.

Vtèrius nihil quicquam S. Patres requisierunt, quod ex omnibus eorum dictis, quæ Aduersarij adduxerunt, comprobari nõ potest. Ad hæc propositum quoque in libro est, ne quis ad enumerationem peccatorum, hoc est, ad omnes actiones suas in dictis & factis cū omnibus circūstantiis speciatim Confessionario emerandum & patefaciendum, adstringatur.

Eiusmodi peccatorum enumerationem nec S. Patres requisierunt: nihil aliud est quàm præstigiatio & impostura, quod Aduersarij ad homines inanibus & pomposis verbis fascinandos, tam multa Patrum dicta allegant. In omnibus enim illis nihil aliud voluerunt, quàm ad occultorum quoque peccatorum, & malarum cogitationum mentis seriã pœnitentiã agendã hortari. Quod verò Christianus per salutem animæ suæ teneatur omnes prauas cogitationes, dicta aut facta, cū omnib<sup>9</sup> circūstantiis Sacerdoti recensere, id quod vltimis hisce tēporibus, quibus vera pœnitentia grauitèr collapsa est, & doctum est, & maxima cum importunitate exactum, vnde multa millia animarum in horribilem anxietatē & desperationem impulsa sunt & adacta. Talis doctrina apud nullum ex veteribus inuenitur, id quod cuius Christiano obuium est, qui citata Patrum loca cum Antecedentibus & consequentibus diligenter examinauerit.

Primum non verentur Aduersarij confictum Clementē introducere, cū probè sciāt, Epistolã à se allegatã, impiū esse ac inane figmentum, in quo S. Petro absurdissimæ quæque adscribuntur. Quare à nemine in

testimo-

testimonium veritatis citari potest, sicut nec ab vlllo ex veteribus citata reperitur. Quod haud dubiè ab illis factum non esset, si eam fide dignam indicassent: præsertim cum plurimos S. Petri commemoret sermones factos ad istum Clementem suum, ei que vt scripto consignaret, mandatos. Sermones etenim Apostolorum debent tanquam Sermones spiritus S. præsertim in tanti pònderis rebus Ecclesiasticis, obseruari, quotiescunque certa eorum mentio habetur.

Nihilominus tamen nec fictitij Clementis dictum euincit, Christianos ad omnia occulta peccata, prauè dicta aut facta, cum omnibus circumstantiis Sacerdoti recensenda teneri. Oratio enim ~~fictitij Petri~~ a suppositio Clemète conscripta, nihil ~~aliud est~~ quam adhortatio ad Sacerdotes, vt si fortè ~~aliquis~~ cor, vel liuor, vel infidelitas, vel auaritia, vel aliquid malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc ei qui præest. Qui animæ suæ curam gerit, inquit. Is verò est, quem hic iubet fictitius Petrus confiteri, non is cui iubet confiteri, videlicet curator animarum. Ita isti homines passim deprauant quæ adducunt testimonia.

Alium locum ex eadem adhortatione supposititij Petri adducunt: in quo abiectiōem ex corde latentis amaritudinis peccati cōparat naufragæ & vomitui eorum, qui in mari nauigant, & dicit, Intrinsecus latentem amaritudinem peccati, si quando talis ex iniustis affectionibus cōcepta sit, abiiciendam prorsus & euomendam esse.

Quod verò habetur in vtroque loco de eo, quod singula peccata cum omnibus suis circumstantiis inter confitendum enumerare oporteat. Primum dictum tantummodò est exhortatio ad Sacerdotes, in qua solum loquitur de confessione eorum morborum qui latenter irrepserunt, inuidiæ, infidelitatis, auaritiæ, & similibus, quando adhuc in animo hærent, & homo non facile ab eis se liberare potest. Alterum verò dictum agit, de plena eorum ex animo abiectiōe, quæ fit per veram pœnitentiam, non solam confessionem. Solummodò enim mala in semetipso latentia, conscientiamque suam grauantia & sollicitantia recensere, non est ea ex animo abiicere, ac quasi euomere.

Iam Liber Reformationis non modo nihil contrarium, sed idem omninò docet. Hortatur enim vt vnusquisque ea peccata, quæ conscientiam suam præcipuè sollicitant & grauant, hoc est, quæ adhuc illi adhærent, ministro detegat, ab eo que consilium solatiumque quærat. Iam verò ea peccata, quibus seipsum aliquis adhuc implicatum & irretitum apprehendit, ipsum imprimis grauare ac sollicitare debent, quamuis omnia delicta, quantumuis exigua sint, vnūquemque Christianum premere & molestare meritò debent. Verum ea omnia & singula recensere, homini impossibile est: nec etiam Confessionarius suum peculiare consilium ac solatium ad singula seorsim dari potest.

Porrò quod Aduersarij ex Epistola Dionysij ad Demophilum produciunt, id ne verbū quidē de Secreta Confessione in se habet: sed est reprehensio cuiusdam Monachi, qui in scripto quodam de se prædicauerat, quod impium aliquem & peccatorem, in præsentia sua ad pedes Sa-

cerdotis se prosternentem, pede detrusisset, & Sacerdotem, quod peccatorem istum admiserat, acriter redarguisset, cum tamen Peccator iste supplicaret, & confiteretur, quod ad medicinam venisset. Hæc sunt verba Dionysij in eo loco. Verum sic ludere solent Aduersarij, cum salute hominū, idq; in tam sublimibus mysteriis Redēptionis Christi. Nihilo plus loquuntur de Secreta Confessione Tertulliani quoque & Cypriani dicta, longè minus de enumeratione peccatorū faciendā Sacerdoti: Sed de publica Cōfessione, quā eius tēporis fideles pro peccatis faciebāt, nō Verbo tantū, sed etiam tota vitæ conuersione: non coram solo Sacerdote, sed etiam in conspectu totius populi Christi, & vniuersæ Ecclesiæ. Ad quā agendam S. isti Patres non tantum non eorū solummodo peccatorū, quæ in opus adducta sunt, verum etiam quæ sunt in sola cogitatione: vt terroris ac formidinis Christum in persecutione confitendi, quæ adhuc tantum in corde manent, & neque ore prolata, neque opera perfecta & admissa sunt. Tertullianus libro de Pœnitentia scribit, ἐξομολόγησις, hoc est, confessionem Ecclesiæ esse disciplinam sese prosternendi & humiliādi, conuersionem iniungentem misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu, Sacco & cineri incubare: corpus fordibus obscurare, animū mœroribus deiicere: illa quæ peccauit tristi tractatione mutare. Ceterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa. Plerumque verò ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire diēs noctēsque ad Dominū Deum, Presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia dicit Tertullianus esse ἐξομολόγησις. Cūque pudorē huius Confessionis depellere vult, hoc præcipuè argumento vtitur.

Quod fideles, corā quibus ea fieri debeat, omnes fratres sint, peccatori compatientes & condolentes, pro eoque orantes. Hanc confitendi rationem Cyprianus quoque, qui Tertullianum tanquam magistrum suum, libenter in omnibus imitatur, eodem omninò modo, in citatis aliisque compluribus locis describit.

Hic certè nihil habetur de Secreta, & quæ tantum ore fit, peccatorum enumeratione, sed eiusmodi seria & efficax Confessio describitur de qua Aduersarij multa quidem prædicare possunt, verum quæ hæcenus apud ipsos non modo non est inuenta, sed ne audita quidem, quod ad eam seriò homines adhortentur, sicut in Libro Reformationis ordinatum est.

Verum Origenes scribens in Ps. 57. loquitur quidem de priuata quadam, & secreta Confessione, quæ peculiari cuiuspiam & sapienti medico animarum faciendā sit, consiliumque ab eo petendum, vtrum operæ precium vtilēque sit, tale quoddam peccatum publicè quoque in congregatione fidelium confiteri. Ad eiusmodi verò confessionem tantummodo hortatur, neminem cogit, multò minus singulorum peccatorum eumerationem postulat.

Ad hæc non vult, vt ea cui libet fiat, Tantummodo, inquit, circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius Medicum cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari

infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam, vt ita demũ, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem: si quid consilij dederit, facias & sequaris: si intellexerit & præuiderit talem esse languorẽ tuum, qui in conuentu totius Ecclesię exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri curari poterunt, & tu ipse facillẽ sanari, multa hac deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est. Hęc ille.

Hęc est doctrina Origenis in citato loco, quæ habetur etiam de Pœnit. Dist. 6. Quam sanè Aduersarij, quantum ad electionem ac probationem Cõfessionarij pertinet, ægrè admissuri essent. Præcisè enim postulant, vt suo quisque Pastori, quantumuis in diuinis rebus imperitus, quantumuis impius & obstinatus sit, confiteatur. Qui profectò de vera confitentium ædificatione & emédatione magis sollicitus esse nequit, quàm de sua propria: quisque nisi lucrum, & cupiditas dominandi cõficientis hominum, interdum impium quoque & scœdum arcana hominum cognoscendi desiderium cum impelleret, iam dudum Parochiales suos omnes omni confessione liberasset.

Porrò quod ex Nicephoro adducunt, id ita scriptum est, vt cuius perspicuum sit, id de nulla confessione agere, in qua tenetur homo omnia & singula peccata sua cum omnibus circumstantiis recensere. Quomodo enim vnus Episcopus vel etiam probati Monachi huic muneri potuissent satisfacere?

Consimilis ratio est etiam dictorum Basilij, quæ quidem docent, peccata Ministris Christi, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse: & hanc esse salutarem confessionem. Quòd verò singulorum peccatorum, quorum homines conscij sunt, enumeratio necessaria sit, id S. iste Pater non magis docet quàm reliqui.

D. Chrysostrum quoque producunt, cum tamen non ignorent, ipsum necessitati arcana peccata confitendi apertè contradixisse. At nihil aliud quærunt, quàm vt frequenti & nominum & locorum S. Patrũ citatione simplicium oculos perstringant, quæ minus veritatem liquidò cernere queant. Tu verò Christiane Lector inspice citata loca: inuenies enim quod nihil aliud volunt, quàm sacerdotibus à Domino iniunctum esse, vt peccata discernant, iudicent & remittant: quòdque ministerium ac potestatem eorum nemo contemnere debeat. Quod etiã liber Reformat. docet. Enumerationis verò peccatorum nulla fit in eis mentio. Hoc quidem vrget & iste Pater, vt peccata non ore tatum, sed multo magis corde confiteamur, hoc est reuera tanquam peccata agnoscamus. Quòd verò sacerdotibus vnà cum omnibus suis circumstantiis enumeranda sint, id ad eò non docet, vt contrarium expressè docuerit, non vno tantum loco: vt etiam in illo quem Aduersarij postremò citant, libenter tamen perperam exponendò in alium sensum detorquerent.

*Non dico, tibi, inquit, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses, sed obedire te volo Propheta dicenti, Reuela Domino viam tuam.*

*Ante Deum ergo tua conficere peccata, apud verum iudicem delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientie tuae memoria, &c.* Hæc ille. Hoc dictū aiunt Aduersarij liberare tantum à publica Confessione, quæ fiebat in publico pœnitentiæ exercitio: de qua paulò antè ex Tertulliano dictū est: non de secreta, quæ fit soli sacerdoti. At faciliè est hoc asserere, difficilè verò rationibus comprobare. Constat enim S. hunc Patrem sapientissimis & optimis verbis, & inter cæteros Patres omnes canitissimè, ac circumspèctissimè scripsisse, & locutum esse. Quamobrem si hæc eius sententia fuisset, vt Aduersarij dicunt, non debebat hoc loco ad solam confessionem, quæ Deo fieri debet, adhortari, eius verò, quæ sacerdoti priuatim & secretè facienda est, neque hic, neque vili bi alias meminisse. Sed oportebat ipsum hoc quoque loco, vbi tam copiosè de vera Pœnitentia, omnibùsque ad eam pertinentibus, concionatus est, eius quoque Confessionis, quæ seorsim sacerdoti facienda esset, mentionem facere. Quod non modò non fecit, sed eam in omnibus suis scriptis & libris, quorum infinitus penè numerus est, in nullo loco ne verbo quidem attigit. *Non dico tibi*, inquit, *vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses.* An non sapiens ilte, cautus, ac plane diuinus Orator, Verè aureum os, his verbis suis appositurus fuisset, (auti apud sacerdotem) si secretam Confessionem Christianis in genere necessariam agnouisset? Constat igitur, quod quemadmodum arcana confessio in Ecclesia Constantinopolitana per proximum Christini antecessorem obsoleuerat, sic nec D. Chrysof. eam necessariam facere, vel feriis ad eam adhortationibus in vsum restituere voluerit. Cuius ratio in sequentibus explicabitur.

Non minùs absurdum est, quod illud quoque, quod Tripartita historia de Confessione commemorat, deprauare conantur. ibi enim manifestè recensetur, Constantinopoli sacerdotes quosdam, sicut etiam Romæ, pœnitentibus præfectos fuisse, qui secretas hominum Confessiones audiebant, eisque pœnitentiam iniungebant. Quam consuetudinem Nectarius, proximus ante Chrysofomum Constantinopolitanus Episcopus, abrogarit, nullamque amplius presbyterum pœnitentibus præfecerit, posteaquam ei à nonnullis suatum erat, vt singulos ad communicandum iudicio conscientie suæ relinqueret. Ad communicandum, inquit, non ad agendam publicam pœnitentiam, vel non agendam, vti Aduersarij verba hæc à suo Germano sensu detorquent.

Sic enim ea peruertunt: Nectarium vnumquemque iudicio conscientie suæ reliquisse: quod non ira accipiendum sit, quasi fecerit omnibus liberum secretè confitendi si velint, aut non, si nolint: sed quod ad pœnitentiam attinet, liberum fecisse, reliquissèque vniuscuiusque iudicio, an pro peccatis occultis publice pœnitere velit, an non. Verùm neque de secreta confessione, neque de publica pœnitentia quicquam habetur: sed de communione, ad quam singulos iudicio conscientie suæ, nullo præcedente Confessionarij iudicio, qui secretam eorum confessionem audiisset: atque idcirco sine omni confessione secreta, Nectarius admisit. Ad communicandum positum est. Antea non sic fuerat

fuerat, sed ad communicandum nemo admittebatur, nisi facta à presbyteris, qui pœnitentibus præfecti erant, potestate: quos propterea homines conueniebant, suamque apud illos confessionem facere cogebantur. Vnde manifestum est, Confessionem secretam tunc temporis in Ecclesia Constantinopolitana in altero summo Patriarchatu, non necessariam ad salutem iudicatam fuisse: quòdque ista Ecclesia neminem propter eam cogitauerit excommunicare.

Interim tamen verum quoque est, quod eodem loco in Tripartita historia scriptum legitur, Eos videlicet qui confiteri fugiunt, maius sibi onus imponere. Verùm peccata confiteri non est ea recensere: sed ex intimo cordis affectu peccatorem se agnoscere, & confiteri: idque non solum coram Deo, Verum etiam coram tota Ecclesia eius. Talis autem confessio facile fieri potest, sine peculiari sui ipsius accusatione, & singulorum peccatorum enumeratione. Videatur tota Homilia Chrysof. 32. in Epistolam ad Hebræos, vbi verum confitendi modum optimè declarat, ac propriissimè describit.

Non minus perperam Latinos quoque Patres citant, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Leonem, Gregorium. Qui omnes nihil aliud docent, quàm primò, Deum dedisse presbyteris potestatem peccata cognoscendi, discernendi, iudicandi, remittendi: & quod Christiani potestatem istam nullo modo aspernari, sed magni estimare debeant. secundò, quod presbyteri debeant esse confitentium medici: ij verò qui morbis peccatorum laborant, eiusmodi medicos libenter conuenire, suamque agritudinem liberè non grauatim illis reuelare.

Tertiò, quod Pœnitentia æquet Sacramento Baptismi. Vnicum Leonis dictum aliquid amplius habet, nempe, quod admodum vtile ac necessarium sit, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur. Omnia ista dicta, si probè intelligantur, vera sunt & salutaria, dummodo in dicto Leonis vocabulum (*necessarium*) non nimis altè tendatur.

Primum enim vt sepe numero hætenus confessi sumus, verum est, Presbyteros in Ecclesiis à Domino ordinatos esse, vt fratrum peccata cognoscant, discernant, iudicent, seruent vel remittant: vtque per impositionem manuum salutarem peccatoribus medelam & pharmacum adhibeant: fratres verò id magni faciant, gratòque animo vsurpent.

Item vera Pœnitentia, per quam à peccatis ad Dominum nos rursus conuertimus, suo modo non mali Baptismo equat, quandoquidem pœnitentibus per absolutionem eadem gratia & communitio Christi restituitur, quam in S. Baptismo acceperant. Cui Liber Reformat. non modò non contradicit, sed etiam id ipsum docet, & ad hoc seriò adhortatur. De eo igitur nulla controuersia est: sed de hoc controuertitur, Vtrum enumeratio peccatorum necessaria sit. Hic aduersarij omnes & suas & complicum suorum vires in vnum conferant, tententque, si vel vnum aliquod dictum in medium proferre queant, ex quo probari possit, Christianos teneri, vt singula occulta peccata sua in confessione



cum omnibus eorum circumstantiis enumerent, verum id facile prætermittent.

Iam verò quoniam nonnulli Patrum, præsertim verò Origenes ad priuatam Confessionem aliquantò diligentius hortantur, vt ex parte Cyprianus quoque, quos etiam nos imitati, constituimus ne quis ad S. Cœnam admittatur nisi prius confessus sit, & absolutionem acceperit. D. verò Chrysostomus Confessionem liberrimam relinquit, ad eò vt ne quidem ad eam adhortetur: non abs re foret, amborum causis probè cognoscere, ac penitus introspicere. Primum omnium igitur notabit Christianus Lector, quem scopum vtraque pars respexerit.

Si S. Patrum hac de re dicta rectè intueamur, manifestè deprehendemus, priores, qui priuatam Confessionem magnis laudibus extollunt, ad hoc præcipuè respexisse, quod ea mirum in modum prodest, ad afflictas conscientias, per veram pœnitentiam, tanquam pharmacum animæ, à morbis peccatorum liberandas. Primum enim omnes Christiani de eo consentiunt, veram Pœnitentiam peccatorum esse eiusmodi ferium ac vehementem dolorem de peccato, quo homo Deum Patrem suum cœlestem offendit, vt qui in tali vera & Christiana pœnitentiâ est, gratiam & remissionem suorum peccatorum suppliciter petat in S. cœtibus Christi, & aliàs, strenua humilitione, oppressione, & mortificatione veteris Adami, cum omnibus affectibus & concupiscentiis suis: & imprimis eorum membrorum, per quæ homo peculiariter ad peccandum impulsus est: assiduo item exercitio omnium bonorum operum, quibus talis pœnitens conatur semetipsum rursus ad omnem obedientiam Dei præsentare, & iuxta omnem voluntatem eius vitam instituire, denique vbicunque peccatis suis nomen Dei prophanauit, hominèsque offendit, sedulitate & assiduitate sua in omnibus bonis operibus gloriam Dei rursus augere, & homines ædificare.

Secundò, De hoc quoque Christiani consentiunt, Neminem ad eiusmodi veram ac Christianam pœnitentiam peccatorum peruenire posse, nisi per viuam & efficacem agnitionem peccatorum, ac seueritatis iudicij diuini.

Tertiò, constat etiam, paucissimos huiusmodi viuam & efficacem peccatorum suorum cognitionem habere: eorumque grauitatem, & seueritatem iudicij diuini ita diligenter perpendere.

Quartò, manifestum est, Presbyteros propterea ordinatos esse, vt Euangelium, quod à pœnitentiâ initium sumit, non solum in genere omnibus hominibus, sed etiam priuatim singulis prædicent, & quantum in ipsis est, diligentissimè inculcent.

Quintò, non est dubium, Sacerdotes posse tantò efficacius ac fructuosius prædicationem pœnitentiæ annunciare & inculcare, quantò melius singulorum infirmitates & ægrotudines, quibus videlicet morbis, vnusquisque peculiariter affectus sit, nouerunt.

Sextò, Patet exercitia pœnitentiæ esse, seipsum coram Deo & hominibus accusare: peccata sua ex animo confiteri, amplificare, ac deuotissimè

ma mente gratiam & misericordiam Dei implorare: in Ecclesia & alias indefinenter orare, alias etiam, vt vna nobiscum Deum inuocare velint, rogare, ieiunare, vigilare, corporales labores subire: carnis recreationem ac voluptates refugere: in omnibus actionibus externis abieciſſimè & humillimè se gerere: sedulo serióque in congregationibus Dei comparere: verbum eius diligenter legere & audire: in S. cœtibus & alias libenter se religioſis ac deuotis hominibus adiungere, à mundanis verò & hominibus & negotiis, quantum quidem id patitur dilectio proximi, subducere: ægrotos, afflictos, ac pauperes libenter inuisere, eis que inferuire: liberaliter elemosynam erogare: denique omnis generis officia, ad pietatis profectum conducentia, cuiusmodi sunt, dissidentes ac sibi mutuò inſensos reconciliare: docere rudes: excitare desides: monere peccantes: consolari afflictos ex omnibus hominibus summa cum diligentia præstare & exhibere.

Septima, facillè quibus cognoscere potest, quod sicut opera ista Pœnitentiæ diuersa sunt, ita nec singula singulis ad remedium peccatorum, hoc est, pœnitentiam peccatorum acuendam, & zelum semetipsum emendandi accendendum & corroborandum multum conferre. Quibusdam enim multum ieiunare, laborare, vigilare, ad hunc finem plurimum conducit: aliis legere S. scripturam, audire verbum Dei, precibusque se exercere: aliis afflictos & egenos frequenter inuisere, aliis denique, religioſis hominibus se associare, à quibus erudiri & ædificari possint.

Quod cum ita sit, perspicuum est, multis quàm maximè prodesse, vt eruditi Animarum Medici, quò ad hæc pœnitentiæ exercitia, fideliter ipsis consulant, in quibus vt se peculiariter exercent, vtilissimum illis esse existiment.

Octauò & postremò, quoniam Deus talem pœnitentiam requirit, per quam homines se à peccatis ad ipsum penitus conuertant, ac nonnullis sat diu laborandum est, priusquam queant animam à damnatis cupiditatibus peccandi auellere, veraque & plena pœnitentia peccatorum ad Dominum conuertere: multi etiam sint, qui de pœnitentia & conuersione sui ad Deum sibi persuadeant, cum tamen adhuc in peccatis, in malis, & inordinatis affectibus, propositòque peccandi, hæreant, plerisque rursus necessarium est, vt hac in re Medici animarum iudicio ac consilio vtantur, seseque de vera pœnitentia rectè instrui sinant.

Quoniam igitur omnibus temporibus admodum exiguus numerus est eorum, qui sua peccata sufficienter agnoscunt & deplorant, propterea quod Deum ac Seruatorem nostrum Iesum Christum non rectè agnoscunt, nec legi & Euāgelio eius firmiter credunt. Multi etiā non satis norunt, quomodo debeant seipſos ad eiusmodi verā pœnitentiā promouere, quidq. eis ad eā quā maximè vel prodesse vel obesse possit, etiā quando veram habeant peccatorum pœnitentiam, vel solam eius imaginem: iis quoque quibus Ministerium Curæ animarum iniunctum

est, omninò competit, vt summam diligentiam adhibeant, omnémque moueant lapidem, vt tam priuatis appellationibus, quàm publicis exhortationibus, homines ad veram pœnitentiam, seriùque de peccatis dolorem permoueant & impellant: certùmque sit, animos hominum sæpenumero priuatis alloquiis facilius commoueri posse, quàm publicis concionibus & doctrinis, his de caussis veteres S. Patres, fideles & eruditi animarum Curatores, semper agnouerunt, secretam confessionem peccatorum, quæ verè peritis ac fidelibus Animarum Medicis fieri solet, vtilissimum maximèque salutiferum opus esse, & inter fideles diligenter proponendum.

Huc respexerunt S. Patres, qui ad Secretam confessionem tam diligenter hortantur. Nihilominus tamen, quoniam neque Dominus, neque Apostoli eam ordinarunt aut præceperunt, eaque cum fructu nemo vti potest, nisi qui amicis admonitionibus, fidelibusque suasionibus ad eam inuitatur: & præter ipsam diuersæ rationes ac viæ sunt, homines de peccatis suis commonefaciendi, & ad veram pœnitentiam adhortandi, hinc est quod nulli Patrum hoc opus tanquam necessarium requisierunt, sed liberum reliquerunt, & tantummodo fideliter homines adhortati sunt, & quilibet eorum tanto vel magis vel minus, quanto maiorem vel minorem eius fructum & vtilitatem expertus est.

Cùm enim numerus Christianorum creuisset, tantòque impurius factus esset, quinetiam hoc opere nonnulli ad scandalum abuterentur, in Ecclesia Constantinopolitana vt supra diximus, prætermissum est: & doctrina, commonefactio, & ad pœnitentiam adhortatio, in publicis concionibus, aliisque priuatis alloquiis & cohortationibus collocata fuit.

Et hoc D. Chrysostronus, prout tum tēporis res in Ecclesia sua comparatæ erant, vtilius ad ædificationem iudicauit. Priuata enim & secreta confessio, in qua conscientia grauamina patefacienda, & interiores animi morbi reuelandi sunt, eiusmodi opus est, quod nunc semper omnibus hominibus ad veram pœnitentiam prouocandum confert. Adhæc talium Confessionariorum paucissimus est numerus, quibus eiusmodi confessio cum fructu fieri possit, & qui tanquam prudentes Animarum Medici afflictis conscientis salutaria consilia dare queant. Hæc impedimenta sine dubio D. Chrysostrono obstiterunt, quo minus ad priuatam secretamque confessionem, vt ad alia bona opera, hortatus sit. Videbat quod populo suo, de cuius socordia & vitiis admodum seriò conqueritur, publicis tantùm concionibus, ac priuatis admonitionibus, quæ rationibus & viis à Domino ipso præmonstratis, ad eum fieri possent, subueniri oporteret. Antiqua enim ac seria pœnitentialis disciplina Ecclesie iam dudum per multitudinem ineptorum hominum plurimùm debilitata & labefactata erat.

Porro quod Leo Papa scripsit, multum vtile & necessarium esse, vt peccatorum reatus antè vltimum diem sacerdotali supplicatione soluantur, in eo (necessarium) latius extendi non potest, quàm cum  
quis

quibus ab Ecclesia ligatus est, eiusque solutionem facile impetrare potest. Qui enim ab Ecclesia ligatus est, hoc est, excommunicatus non est, aut ad satisfactionem, hoc est, poenitentiae declarationem adstrictus, is in communione est Domini nostri Iesu Christi, eaque potest frui ad vitam aeternam, si ex vera fide, veraque poenitentia peccatorum, Dominum pro remissione inuocat. Omnibus enim temporibus verum esse oportet, quod quicumque in Christum credit, & per eum peccatorum veniam petit, habeat remissionem eorum, & vitam aeternam.

Quoniam verò nobis considerandum fuit, quomodo subditi nostri longo iam tempore salutari doctrina Euangelij destituti fuerint, atque idcirco in nimis grauem peccatorum ignorance, sicut & redemptionis factae per Dominum nostrum Iesum Christum, & omnium mysteriorum Christianae religionis prolapsus sit, adeò vt meritò non per publicas tantum conciones, aliaque in S. literis ordinatas compellandi rationes, verumetiam per hoc medium Secretae Confessionis, praesertim cum ea adhuc in vlu versetur, tentandum sit, homines ad viuam & efficacem peccatorum suorum agnitionem, poenitentiam, atque omnem pietatem permouere, his de causis non iniuria constituimus, ne quis ad S. Cœnam admittatur, nisi priuatam absolutionem, cum conuenienti peccatorum suorum confessione prius petierit & impetrauerit.

Quae ordinatio nemini Christiano molesta esse potest. Nam & alias nemo ad S. Cœnam admitti debet, nisi qui in omnem obedientiam Euangelij, & omnem aedificantem ordinationem sponte se tradit, & ad omnem Christianam doctrinam & instructionem voluntarium se, & audidum demonstrat.

Quare timendum non est, ne ordinatio ista, quenquam à S. Cœna absterreat, qui alioquin ad eam idoneus esse potest. Impossibilis enim ista, & ad aedificationem inutilis peccatorum enumeratio à nemine exigitur: tantummodo amice admonendi sunt homines, vt ea peccata & morbos, de quibus maxime consilio & solatio egent, detegere non detrectent. Adhuc familiarissime catechizandi sunt, hoc est, de fide sua interrogandi, erudiendi & confirmandi. Quae sanè adeo salutaria beneficia, propriaque animarum curae officia ac ministeria sunt, vt ea quilibet Christianus non nisi summa cum gratiarum actione suscipere debeat, ad eaque summa cum alacritate & auiditate mentis se conferre. In hoc consistit ordinatio nostra de S. Confessione.

Ordinatio Concilij Lateranensis, vt vnusquisque fidelium saltem in anno semel suum proprium Sacerdotem adeat, eisque omnia peccata sua, quorum reatu constringitur confiteatur, necesse est, vt vel de iis tantum peccatis intelligatur, per quorum priuatam detectionem, & enumerationem Confitens tantò melius ad emendationem erudiri, & edificari possit: vel quò ad reliqua attinet, de confessione, quae publice fit, sine particulari singulorum peccatorum enumeratione. Alioquin enim ordinatio ista nec utilis esset, nec possibilis. Nemini enim possibile est, omnia & singula peccata sua specialiter enumerare: neque omni-

bus ad ædificationem prodest, omnia peccata omni tempore particulariter recensere: id quod piis, & qui veræ conscientiarum medicinæ scientiam habent, apertissimum est.

Nunc deinceps respondendum est ad præcipuum argumentum Aduersariorum eorūque accusationi, quam contra Librum Reformationis instituunt, occurrendum.

*Defensio Libri Reformationis, & Responso ad argumenta & reprehensiones Aduersariorum.*

*De certificatione Remissionis peccatorum.*

*De enumeratione peccatorum.*

C A P. CXI.

**P** RIMUM omnium carpunt Aduersarij Librum in eo, quod nolit quenquam ad peccatorum enumerationem obligari, cum tamen Catholicus Ecclesiæ intellectus sit assensus, quod ligatio & solutio, de qua mandauit Dominus. Mat. 16. & 18. & Ioan. 20. Aliter fieri non possit, quam si hi, qui post Baptismum sunt in grauiora peccata prolapsi, delicta sua prius distinctè Sacerdoti confiteantur, & ab eo tanquam iudice iudicium: & tanquam medico medicinam accipiant, imò & sensum communem id agnoscere, quod nemo retinere, ligare, aut soluere queat, id cuius nullam habet cognitionem.

*Responso.*

**S**UPERIUS ostensum est, veteres S. Patres peccatorum enumerationem nunquam requisuisse, neque requirendam agnouisse. Quare non modò præter veritatem, sed etiã præter omnem veritatis speciem ab Aduersariis affirmatur. Catholicum esse Ecclesiæ sensum, quod ligandi & absoluendi ministerium, Ecclesiæ suæ à Domino commendatum, alia ratione expediri nequeat, quam si peccator peccata sua distinctè confiteatur.

Primum enim constat, quod etiã illis qui baptizantur, peccata remittuntur: qui verò baptizari renuunt, retinentur. Post Baptismum verò eorum retinentur peccata, & tum ad temporale, tum ad æternum supplicium ligantur, qui peccata sua neque confiteri, neque poenitentiam eorum agere volunt.

Quapropter in doctrina Aduersariorum prima hæc falsitas est, quod asserunt, iuxta mandatum Domini nullius peccata remitti vel retineri posse, nisi post Baptismum, & cum ea distinctè Sacerdoti fatentur. Quod ad soluendum pertinet, Verum quidem est, Ministros Christi neminè soluere posse, liberumque à peccatis pronunciare, nisi peccata sua confiteatur, & emendationem promittat. Quod autem propterea distinctè peccata